Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1211
Quelle:
Copyright:

dein Tabula Quaeſtionum cum jocoſo epiphonemate: *Explicit totum mit ein ander*. En alium Scholaſticorum Principem ex Auguſtiniana familia addendum tot Coryphaeis e Praedicatorum et Minorum ſodalitio, quorum Scripta ipſorum paene aetatem adtingentia in Membranis Bibliotheca Palatina ſervat. Vicinus aedi ſacrae ſcribo, in qua ab anno mortis 1358. quieſcunt ejus Exuviae. Deceſſit enim *Vindobonae* commune ſepulcrum nactus cum *Thoma de Argentina*, quem etiam in ſuprema Ordinis ſui Praefectura fuerat ſecutus. De facta Sepulcri hujus a. 1634. inſpectione et aliis ad hunc Virum pertinentibus vide *Conſpect. Hiſt. Univ. Vien.* P. III. p. 202. *Scriptt. Univ.* P. I. p. 20. ubi perperam dicitur duodecim annis ante *Thomam Argentinenſ.* tumulatus, *Locheri Speculum Acad.* p. 429. ubi mors *Thomae* a. 1375. mors *Gregorii* a. 1385. prave adfigitur, *Fabricii Biblioth. med. Lat.* L. VII. p. 97. *Oſſingeri Biblioth. Auguſtin.* p. 74. ubi iterum lapſu typographi *Gregorius* pro anno 1357. Prior Generalis electus dicitur a. 1375. Lubens haec emendo; idem enim a Poſteris officium ſpero. Commentaria *Gregorii* lucem videre teſte *Maitt.* in I. *Sententiar. Pariſ.* 1482. et 87. Addit *Argelatus* in II. *Mediol.* 1494. In I. et II. juxta *Maitt. Valentiae* 1500. At mihi objacet in I. et II. Editio *Veneta* 1518. f. quam tamen ſecundam arbitror; nam *Paulus de Genaçano* editor Praeloquium ad *Aegidium Viterb.* jam a. MDII. ſubſcripſit.

DXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. U. 426
Folior. 352. f. per duas columnas multis vocum contractionibus perſcriptus et rubricis enotatus aliud eſt praecedentis Operis integrum Exemplar.

DXX.

Codex membraneus lat. Sec. U. 447
XIV. Folior. 120. f. per duas columnas multis compendiis exaratus et diſtinctus coloribus primo praeſcribitur: *Iſte liber eſt Job. de Pla* (centia?) *filij quondam magiſtri albertini de falſo de pla. et valet flor.* VI. Ex *Italia Viennam* delatum indicat altera Nota, qua illum *M. Nicolaus de Dinkelſpuchel ad librariam collegij ducal.* dediſſe perhibetur. Infignitur vero: *Incipiunt queſtiones magiſtri gregorij de arimino ord. fratrum heremitarum ſancti Auguſt. ſuper 2m ſententiarum.* Initium eſt: *Quia magiſter in prima diſtinctione huius 2i libri elidens quorundam philoſophorum errores* &c. et finis: *quique vt peccatum tolleret venit in mundum dei filius iheſus chriſtus benedictus in ſecula ſeculorum amen.* Ut in edit. *Veneta* ſuprac. Accedit Index ſolum alphabeticus. Commentaria Noſtri in III. et IV. nunquam excuſa fuiſſe putem.

II.